

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr.

126

Universis sancte Dei ecclesie fidelibus precipue quod successoribus nostris innotescere volumus, quoniam miles quidam de Castro Duno, Gradulfus nomine, atque Hersendis uxoris eius, amore compuncti divino, dederunt Sancto Martino, pro redemptione animarum suarum, in loco Maioris Monasterii, faventibus cunctis eorum infantibus, Fulcherio scilicet, Petro, Guidone et Hadensi, unam manufirmam terre censive consistentem in pago vindocinense apud villam que Putellus nominatur. Quam videlicet manufirmam contulit Fulcherius de Vindocino eidem Hersendi filiae sue, quando eam copula decoravit maritali. Rursus in villa que Carcona vocatur dederunt et ipsi prefato Sancto III arppenos vinearum. Hanc donationem fecerunt ambo annuentibus, ut dictum est, eorum infantibus, apud Castrum Dunum in domo sua, teste Gauscelino, fratre ipsius domine, qui presens aderat, duobus etiam Sancti Martini monachis Johanne videlicet atque Gualone presentibus. Post paululum vero temporis, hec eadem Hersendis, directo in Jerusalem eodem coniuge suo, venit cum quibusdam familie sue militibus ad Maius Monasterium implorandi gratia Sancti Martini suffragium, rogans more precario ut sibi beneficium loci tribueretur, cuius petitioni dominus abba cum ceteris fratribus assensum prebens, non solum illi atque coniugi suo infantibusque suis verum etiam cunctis qui simul cum ea venerant, ipsa deprecante, quod postulaverat exhibuit. Effecta itaque particeps orationum nec non et elemosynarum loci, fecit item donum eiusdem manufirme ac vinearum quas coniux eius et ipsa apud Castrum Dunum contulerant, et posuit illud super altare Sancti Martini. Est autem haec manufirma ab omni quidem consuetudine libera et quieta, sed tantum modo censem solvit VI solidorum in festivitate Sancti Johannis Baptiste que indubitanter VIIIto Kalendas Iulii celebratur. Et ut haec datio pleniorum obtinere crederetur auctoritatem, Lancelinus de Balgenciaco, de cuius fisco erat, acceptis XXti solidis, auctorizavit, et ut itidem filiis suis facere persuaderet convenientie fuit; sed et Guido, filius Simonis, cui census quem supradiximus quotannis solvitur, auctorizavit, censem accepit, solidam esse probavit. Nomina vero testium illius donationis et huius auctorizationis subter notare curavimus: